



DISPUTATIO

POLITICO-JURIDICA

*J. 1009.
1, 614*

De

427

RESERVATIS
SUMMI NOSTRI
PRINCIPIS.

5

1627

Quam

Divinâ Gratiâ favente,

*Amplissimo Amplissimorum FCTORUM Collegio
consentiente,*

Præsidente ac Dirigente

Clarissimo & Excellentissimo VIRO

DN. DANIELE GREGOR

J. U. D. Præceptore atque Favitore suo
atatem suspiciendo,

examini publico submitte

HENRICUS à Sebottendorff

Nob. Siles.

Ad diem 12. April. horis locove consuetis.

JENÆ

TYPIS STEINMANNIANIS,

ANNO M. DC. XXVII.

1705

42

20. ee

De Reservatis imperatoris



KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

Diss. Jur. Pube

425 - 448.

Joachim Leiser

427 - 450.

Vol. 23.

Band XXIII



II
S
S

II



*E*ij
offi
tius
non
plic
sen
cem
gal

mi

Decorative border of floral and geometric patterns at the top of the page.

IN NOMINE DOMI-
NI NOSTRI JESU CHRISTI
AD OMNIA NOSTRA CONSILIA
ACTUSQUE NOSTROS
FELICITER PROGREDIMUR.

l. 2. in pr. C. de offic. Pras. Prat. Afris.

PRÆLUDIUM.

DE RESERVATIS, SUMMI PRINCIPIS NOSTRI, materia jucunda, libero homine digna, & cognita valde necessaria, exercitii causâ collationem publicam instituturus; non solum reatissime facturum me existimo; si, monitore Cicerone, lib. 1. offic. ab ipsa definitione exordiar; quippe quæ immotum totius exactæ ac methodicæ disputationis fundamentum; nec non propria, brevis, & quasi circumscripta dicendorum explicatio; Everhar. in Top. loc. à d. f. n. 4. Sed & si quid in presentiarum per RESERVATA intelligam, accuratè significem; ne, illo omisso, cognata cum istis jura Majestatis & Regalia majora confundam.

POSITIO I.

Sunt igitur mihi Reservata, Jura (a) Summi Principis propria (b) cum quò ad dominium

A 2

nium

num, tum quo ad exercitium, (c) in iupremæ
eminentiæ signum (d) retenta.

(a) Reservata enim ad eas res spectant, quæ incorporales
sunt; & Jura nuncupantur; ideoque JURA proximum genus
erunt; & sic meritò in definitione data inde desumitur. (b) du-
pliciter ejus dicuntur esse propria; 1. quatenus habet jure pro-
prio, non alterius beneficio. *N. A. An. 1576. S. Dadurch ibi: Zu
unser Keyserlichen Hoheit vnd Reservaten. Cacher. decis. 29. nu. 1.*
& quidem ita; ut attributa, quæ aliis Regibus solent dari, illa o-
mnia ipsi propriè competant tanquam fonti & scaturigini. *Six-
tin. de Regal lib. 1. c. 2.* 2. quatenus penes se solum illa retinet,
als sein Propergut / & neminem ad eorum usum ac commer-
cium admittit. Non enim credendum est Imperatorem omni
suo juri renunciâsse; licet multa suæ Majestati connexa aliis
concesserit; aut nihil residui in supremæ potestatis, dignitatis,
Majestatis testimonium reservâsse; cum si superior manere ve-
lit; omnibus superioritatis se juribus abdicare nequeat; ne si
aliquem in plenitudinem potestatis assumat duæ superioritates
constituantur; quod naturæ vel maximè esset contrarium. *Nat-
ta consil. 604. per 106. Covarr c. 4. pract. quest. num. 1.* (c) Hæc spe-
cifica existit differentia; qua Jura Majestatis, & Regalia majora
distinguuntur à Reservatis. Illorum enim usus plerisque Impe-
rii statibus est communicatus, licet proprietas apud summum
Principem remanserit; Horum verò nemo factus particeps;
cum nonnullos actus qui ad splendorem, & autoritatem am-
plificandam pertinent, sibi expediendos necessariò retinere
cogatur. *Felin. conf. 31. n. 5. Curt. Jun. de feud par. 2.* (d) Nam quia
Imperator tanquã stella matutina in medio nebula meridiona-
lis inter omnes eminet; ut inquit *Bald in S. f. de prob feud.* ideo
prudenter omninò facit; quod non omnia, quæ potest, aliis
communicat; ut si plus deinde queat præstare quàm ceteri;
suam potestatem horum esse majorem non obscure ostendere
valeat. Quod ipsum quantum conducat ad demonstrandam
Summi Imperatoris præeminentiam dici vix potest.

POST-

Primùm ergò Reservatum esto Jus Reges
(a) Principesve (b) creandi.

(a) Ista enim dignitatum prærogativa aliis concessa, ut neque Imperatori neque Imperio nocimento existit; ita potius illi est ornamento. A fulgore namque throni Cæsarii velut ex Sole radii, sic ceteræ prodeunt dignitates; ut primæ lucis integritas memorati Numinis non sentiat detrimenta; tantoque magis imperiale sceptrum extollitur; & tantò magis cura regiminis sollicitudinibus relevatur, quantò Tribunal ipsius digniores in circuitu circumspicit regiones. *Frid. Imper. in privil. Duc. Austr. concess.* Quid? Tantò quis major est & potentior, quò majoribus & illustrioribus præest. *Nov. 15 in fin præfat.* eoque nobilior quis existimatur; quò nobilior habet subiectum. *Simon. Pistor. consil. 18. num. 17. volum. 2.* cum ex dignitate subditorum dignitatis præeminentia dignoscatur; & Imperatoris persona magis honorabilis magisque timenda ex Principum potentia efficiatur. *Modestin. Pistor. cons. 51. num. 36. volum. 1.* Hinc Gregorius Magnus ad Phocam scripsit Imperatorem: Hoc interesse inter Reges Gentium & Romanæ Reipublicæ Imperatores; quod illi sint servorum hi liberorum Domini. *Dan. Ottho de jur. public. cap. 6 pag. 90.* Maximilianus I. se Regem Regum nuncupavit; cum alii servorum aut asinorum esse malint. *Pontal. p. 1 in pr. descript. German. de vir. illustrib.* Carolus quoque V. dicere solitus fuit se in reliquis regnis & ditionibus mancipiis, at in Germania liberis ac Regibus imperare. *Casspar Ens in thes. Polit. part. 3. apoteles. 3. de auct. potest. Reg. Hisp.* Hacque consideratione moniti, qui cœlesti providentia Romani Imperii habenas moderati sunt, solii sui decus tam veterum dignitatum ornamentis foverunt; quàm novis honoribus conferendis ampliaverunt. Sic Regalem honorem Poloniæ Principi Boleslao Acri Otto III. Imper. tribuit. *Peucer. 4. Chron. p. 773.* Eodem tempore, præviâ potestate Cæsareâ, regni titulum Ungariæ usurpavit; quem post Ottonem Henricus II. confirmavit *Id. Peucer. p. 776.* Fridericus I. Petro Daniæ Duci summa regii culminis axiomata donavit *Trithem. c. 17.* Uratislaus Dux Bohemiarum

Cbytra. Chron. Saxon. lib. 1. fol. 36. Post cum omisso nomine regio Duces quidam nominari mallent, Labaslaus à Friderico I. denuò Rex creatus est in Comitibus Ratisbonensibus. *Lampad. in mellif. Histor. part. 3. in vit. Frider. I.* Rex Gallia etiam Jura Regia ab Imperatore Justiniano accepit; si Cujacio credimus. *Consule. 3. in fin. (b)* In concedendo Ducali splendore multis ex actibus apparet, soli Cæsari hanc reservatam esse potestatem. Otto I. Imp. 974. Hermannum Billichium humili loco natum Ducem Saxoniae salutavit. *Lampad. in mellif. Histor. in ejus vita in fin.* Lotharius II. Reginolphum hominem Germanum Apuliae Ducem declaravit 1137. *Id. part. 3. p. 225.* Fridericus I. Marchionatum Austriae Ducatus dignitate donavit. *Peucer, 4. Chron. p. 900.* Idem Fridericus, Henrico Leone in exilium vi pulso, Bavariam cum Palatinatu ad Rhenum Ottoni Wittelsbachio; Saxoniae partem cum Ducis insignibus Bernharo Anhaltino Alberti Ursi filio; utrique propter strenuam in bello praestitam operam dedit. *Id. d. l. p. 769.* Fridericus II. Ottonem Lunaburgensem fecit Ducem. *Gothof. Mon. ad an. 1253. fol. 295.* Henricus Dux Münsterbergensis in Silesia Ducali dignitate decoratus est à Friderico III. Imp. Anno 1462. *Cbytra. Chron. Saxon. lib. 14. pag. 425.* A Maximiliano I. in Comitibus Wormatiensibus Comes Eberhardus Barbatu Wirtenbergensis primus Dux creatus est. Ferdinandus II. invictissimus noster Cæsar, novissimè L. Baronem de Wallstein in Fridlandia Ducem evexit. Indubitatum ergò manet Summum Principem vi supremæ potestatis sibi reservatæ Regalem Ducalemve dignitatem conferre; quod an & Papa jure facere possit, dubio non caret. Equidem, quantum potest, hanc usurpat potestatem; unde passim in Historicis Exempla magno numero occurrunt. Ab Adriano VI. Guilielmus IV. Rugerii III. filius Siciliae utriusque Dominus in Regem sublimatus legitur. *Crantz. in Wandal. lib. 8.* A Johanne XXII. Jacoldus regio Titulo & privatus & restitutus dicitur. *Bodin. de Republ. lib. 1. cap. 9.* Ab Innocentio III. Romæ Petrus, Rex Arragonum, cum uxore Regina in æde S. Pancratii creatus creditur. *Bellus rom. 1. discurs. 1.* Reges Daciae, Bulgariae, & Angliae à Pontificibus

bus diademate regio inuguitos tentatur idem *DEUMS II. I.* 28
Sixto IV. Fridericus ex illustri Fultrensi familia oriundus,
in Ducem Urbini euectus. *Maria de jurisd. p. 1. cap. 33 num. 93.*
sub verbo UMBRIA. A Nicolao II. primùm 1060. Apuliæ
& Calabriae, post & Ferrariæ Dux à Paulo II. Robertus Gui-
scardus Normannus fuit constitutus. *Id. c. 26. n. 10.* A Pio V.
Cosmus Medices Alexandri Nothi agnatus, quem Carolus V.
Florentinum Ducem effecerat, Magni Hetruriæ Ducis titulo
insignitus. *Cbytra. Chron. lib. 10.* Verùm enim verò, ut omnia,
de facto, non de jure talia peragere Papam immotæ veritatis
arbitror; quicquid etiam Tarpeii Præsulis assentatores in con-
trarium adducant. Nemo enim plus juris in alium transferre
potest, quàm ipse habere intelligitur. *l. nemo 54. ff. de R. J.* Jam
dicas, Papa, unde jus Reges creandi fueris adeptus? Sed væ ca-
piti meo, non licet ex Papa quærere, cur ita facis, adeò ut si ca-
tervas aliquot animarum ad inferos detruderet; tamen non de-
ceat cum eo expostulare! *c. si Papa. dist. 40. Specul. in tr. de Leg.*
§. nunc ostendendum. vers. 89. Sed factum infectum fieri nequit.
Aut habes, si habes, jure divino, aut humano. Num divino?
Quidni? Quando enim Salvator ait; Petre pasce oves meas *Jo-*
han. 21. & Tibi trado claves regni cœlorum *Matth. 16.* & portæ
inferorum non prævalent contra eum *d. l. tunc ut Heroica.*
& Achillea planè fortitudine duo illa Ecclesiæ Romanæ lumi-
naria Bellarminus *lib. 5. cap. 14. de Pontif. Roman.* ac Baronius
in Parænesi ad Sereniss. Rempubl. Venet. omni asseveratione affir-
mant, ita hæc verba esse intelligenda; ut Christus eo in loco
merum aurum atque regna mundi locutus videatur; sicque
Petro nec non ejus Successoribus tam in spiritualibus quàm
temporalibus potestas plena, absoluta, infinita, illimitata, &
ut loquitur Boterus *Cosmogr. part. 2 lib. 4 de Pontif. Rom.* ex-
tra anni solisque vias concessa sit. Sed egregia explicatio! Rem
acu tetigerunt. Quis non videt nisi talpa cœcior, alienam pla-
nè à proferentis mente hanc esse exegetin; Ministerium verbi
hic Christus non sceptrum Imperii commendat; Clerus ergò
sit non Herus mundi Papa; Linqvat gladium Pauli, & Petri te-
neat claves cœli non terræ, non imperiorum, non regnorum;
liget & solvat pro cœlo, non pro terra quamvis in terra; sumat
pro

pro chlamide itolam, pro icipio pedum, pro ene boucem.
Si est Successor Petri; Antecessoris sui præstet factum; eat in
mundum universum pedes, & doceat gentes, non equo sellis
& frenis splendido vectus mundo det iussa, pascat oves Christi
non regat ac subigat. An verò potestatis & temporalis & spi-
ritualis facta concessio poterit probari ex dicto *Luc. 22. & 28.*
ubi dicitur: ECCE DUO GLADII? Bonifacius IX. Papa
pessimè ex allegato loco supremam potestatem cum Politi-
cam tum Ecclesiasticam sibi utpote Ecclesiæ summo Monar-
chæ omninò competere voluit evincere. Unde etiam non
solum in *c. unam sanctam extr. de majorit. & obed.* istud verbis
expressè statuit; sed quod illic ore docuit, aliquando ipso ope-
re præfiguravit. Cum enim in primo Jubilæo 1300. ab ipso &
instituto & celebrato Albertus Imperator per Legatos electio-
nis suæ confirmationem peteret; primo istius solemnitatis die
in Pontificalibus prodiens Apostolicam benedictionem po-
pulo impertitus fuit; postero autem die Imperiali habitu &
infulâ Cæsarea indutus gladium sibi nudatum præferri ius-
sit, & ubi consedisset, altâ voce exclamavit: Ecce duo gla-
dii hic: Ego sum Cæsar ac Pontifex. *Crantz. libr. 8. Saxon cap.*
36. Urspergens. in Chron. Centur. Magdeburg. 13. cap. 10. Vide
ô Petre Successorem tuum, & tu mitissime Christe tuum cerne
Vicarium; vide quò adscenderit superbia servi servorum tuo-
rum! Nec desunt ex Pontificiis, qui in gratiam memorati Pa-
pæ causam de utriusque potestatis usurpatione ibi fundatam
esse prætendunt. Sed ipse Bellarminus ex sensu literali illud
minimè colligi posse, cum nulla fiat mentio gladii, vel tempo-
ralis vel spiritualis fassus, *lib. 5. cap. 5. de Pontif. Rom.* mysticè
illud elici à Pontificiis asserit; immemor quod *lib. 3. cap. 3. de*
verb. Dei scripto scribit: nullum argumentum ad probandum
efficax extrui; nisi literaliter; ut se ita proprio jugulet gladio. Et
cui non manifestò apparet ibi Apostolis haut commendari
gladium; sed imminentis periculi gravitatem symbolicè de-
scribi; & ad spiritualem ensẽ ambabus manibus capessen-
dum tacitè eos admoneri? Tantùm igitur abest; ut Papa suam
assertionem ex sacris literis probare queat; ut contrarium ad-
versus eum demonstrare factum sit facilimum. Nonne enim
Chri-

Quintus capite promittit temporalem domina-
tum *Luc. 22. vers. 26. Matth. 20. vers. 25.* quando ait; Reges
gentium dominantur; vos autem non sic. Et Petrus repre-
henditur; quod gladio regnum ejus defendere vellet; quod
spirituale sit nec de hoc mundo. Neque ab hac reprehensio-
ne immunis futurus Pontifex Vicarius; cum principalis puta-
Petrus taxationem incurrerit. Non enim melioris conditio-
nis successor erit ac is, in cujus locum succedit. Et quanquam
regerant Papæ propugnatores; Petrum secularem potestatem
super Reges ac Principes non exercuisse propter virium defe-
ctum non juris carentiam; attamen si Christus id concedere
jussu voluisset, utique & illud, sine quo obtineri haut posset, con-
cessisset. Aut igitur noluit, aut non potuit Petro nervos execu-
tionis ad tuendam juris concessi potestatem dare. Si noluit;
nec Successor sibi jure successionis tribuat, quod Antecessori
fuit denegatum. Quod non potuerit; sine crimine læsæ Ma-
jestatis divinæ dici non posse vel ipsi Pontificii largiuntur. Ma-
nifestum ergo est, jure divino hanc potestatem Papæ non per-
mitti; humano igitur jure habeat necesse est, si habet. Quod
si jam inde nactus; erit istam adeptus vel speciali populi con-
cessione, vel Constantini M. donatione, vel immemoriali præ-
scriptione. *1.* Non populi speciali concessione. Quomodo
enim & voluntariam & liberam Christianorum subjectionem
probabit; quæ tamen in omni Imperio constituendo summè
est necessaria; quippe quod ex spontanea ac mutua imperan-
tium & parentium constat conventionem? *Aristotel. Polit. libr. 1.
c. 1. 2.* Non dicta donatione. Quæ enim de Constantini M.
prodigalitate garriunt; figmenta sunt & pingua mendacia;
ita ut non solum Pius II. Pontifex Maximus. harum rerum peri-
tus nugæ hujusmodi ut commenta anilia fabulamque inanem
riserit. *Philipp. Camerar. cent. 1. cap. 61.* sed & Æneas Sylvius in
Dialogo antequam sub Pii V. nomine Pontificatum adipisce-
retur, stolidos nominavit Legistas; qui tantoperè sudarent;
num valeat, quæ nondum facta fuerit. Hinc Veneti à Pontifi-
ce Romano interpellati aliquando; quare vectigalia aliasve
jurisdictiones in mari Adriatico sibi solis vendicarent; cum
tamen neque privilegio, neque legitimo juris titulo obtine-
rent;

B

rent;



rent; argute responderunt; se mirari, quod hac de re privilegia ignoraret; quæ tamen ipse jam dudum, & quidem archietypanquam rem sacram in suis Archivis custodiret; eaque facile reperiri posse; modò pars exterior membranæ, quæ donationem Constantini continet, in qua majusculis literis scripta extarent, accuratiùs inspiceretur. *Id. Cam. d. l.* Neque infirmum, defumi argumentum posset contra fabulosam donationem ex Historicorum fide dignissimorum alta taciturnitate; qui cum Constantini vitam, & illius temporis gesta exactè scripserint, vasa aurea ac argentea, itemque redditus, quos luminaribus Petri & Pauli Constantinus Sylvestro assignarat, ad unguem recensierint; ne verbulo tamen immensæ hujus prodigalitatis mentionem faciunt. *Platin. in vit. Sylvest. Arnif. in tr. de temp. Pontif. potest.* Sed in gratiam Papæ, qui bonus scilicet vir est,posito, non verò in præjudicium veritatis concessio, illam fuisse factam, minimè tamen jure valisset & revocari posset. Etenim, quoniam Princeps Reip. moderator non everfor est constitutus, ad augendum non minuendum electus; inque rebus Imperii tunc Domini loco habendus, cum benè administrat, non quando spoliat; ideò Cæsar non magis jus habet alienandi, ac sibi met ipsi caput amputandi, aut membra mutilandi. Ut enim hoc esset magnæ fatuitatis species; *Everb. in Top. loc. à verisim. n. 15.* ita etiam stoliditatem saperet insignem; si Imperator tam enormiter imperium deteriorando, ac velut viscera ejus eviscerando homicida fieri velit propriæ dignitatis. *Bald. in e. licet causam. extr. de probat. 3.* Non præscriptione. Etsi enim immemoriam, quæ vim specialis privilegii obtinet. *Mynsing. cent. 4. obs. 30. Borch. cent. 1. num. 6.* prætendunt, attamen nihil patrociniatur Pontificis causæ. Etenim 1. deficit bona fides, eò quod sciverint vel quæ paria sunt, scire debuissent; hoc jus omnibus modis ad alium videlicet Cæsarem pertinere; contra quem nulla etiam immemorialis currit præscriptio in iis actibus præsertim, quos sibi in signum eminentiæ supremæ reservavit. *Natta consil. 636. l. 3. §. Divus. ff. de sepulch. violat.* 2. deficit possessionis continuatio; quippe quæ non solum toties interrupta judicatur, quoties Cæsar aliquis mortuus, qui successori & eligendo præjudicare nequivit. *Everhard. in Topic. loc. à plen. potest.*

potest. num. 9. & seq. unde Papa semper recens electos Imperatores ad ratificandam Constantini confictam donationem iurjurando de novo sibi studuit obligare; sed & quoties illorum potestati, qua uti sunt ausi, contradidit. Memorabilis est Maximiliani II. cum Pio II. contentio; cui se strenuè opposuit, cum Cosmum Medices Florentiæ Ducem coronâ & M. Ducis Herruriæ titulo donâset; firmiter asseverans à se tanquam Supremo Mundi Monarcha regios titulos non à Papa esse petendos. *Fulv. Pacian. in tract. de probat. lib. 2. cap. 35. n. 69.* Manet ergò jam immotæ veritatis; quod jus creandi Reges neque jure divino, neque humano Papæ competit; ut hac ratione quicquid facit, faciat titulo nullo, vi manifesta, dolo doloso, & plus quàm Phaëtontæa audacia.

POSITIO III.

Secundum Reservatum esto, jus Academi-
mias erigendi (a) iisque Privilegia ut Doctores (b) Licentiatos (c) Magistros (d) creare possint, concedendi.

(a) Solius enim Imperatoris autoritate & potestate Scholæ eriguntur publicæ, quas Academi-
mias vocamus. *Natta consil. 957. in princ. Rosenthal. de feud. cap. 5. conclus. 2.* Et unde aliàs promanarent, nisi ab eo, qui omnis dignitatis existit scaturigo videlicet Cæsare? Hic enim primus Academi-
mias Privilegiis dotavit; honoribus exornavit; plenaque libertate uti mandavit. *Schonborn. Polit. lib. 5. cap. 17. in princ.* Atque hinc est; quod laudatissimi Imperatores, cum Academi-
mias, non solum multum ornamentis sed & adjumenti Reipublicæ adferre viderint; eò quod ad Fidem Religionemve propagandam, nec non finem ultimum, quem publica societas respicit, consequendum maximè conducunt, instituere. Theodosius II. Bononiensem 423. Constantinopolitanam eodem tempore erexit. Carolus Magnus Ticinensem 791. Parisiensem illo adhuc anno fundavit. Fridericus II. in odium Honorii Papæ Patavinam 1221. Ferrariensem idem 1222. confirmavit;



Carolus IV. Pragensem 1360. Gryphiswaldensem Fridericus III. 1457. Jenensem Ferdinandus I. 1558. Giessenam Rudolphus II. 1607. Altorfinam Ferdinandus II. ~~Alti~~ augustissimus noster Imperator paucos ante annos Privilegiis munivit. Et quis omnes Academias in & extra Germaniam à Romanis Cæsaribus institutas & confirmatas recensere queat? Non pauciores tamen sunt numero, quas Pontificis autoritate roboratas scimus in Gallia à Clemente V. Aurelianensis 1312. à Johanne XXII. Cadurcensis 1320. In Italia Senensis à Pio II. 1387. In Polonia Cracoviensis ab Urbano V. 1364. ab eodem Viennensis 1365. Erfordiensis à Bonifacio IX. 1391. Lipsensis à Pio II. primùm, post ab Alexandro V. 1409. Lovaniensis in Brabantia à Martino V. Basiliensis à Pio II. 1459. confirmata. Factum: Sed quo jure? Forsan quia Pontifex parem cum Imperatore, si Diis placet, potestatem habet? *c. duo sunt. 10. dist. 96.* Verùm quoniam tùm, cum de eo loquimur, quod jam est factum, multa utilitatis causa sustineri solent; quæ nullo jure approbante, gesta sunt *argumento l. Barbarius ff. de offic. prætor. & longa consuetudine receptum sit,* Academias à Pontifice tam fundari quàm confirmari; puto non illas pro veris habendas; ut de consuetudine privilegii hodie concessis utantur fruantur, non aliter ac legitimas censemus & privilegiis uti posse statuimus, quæ à solo Imperatore absque consensu Papæ eriguntur. Improbanda ergò istorum opinio, qui pro veris Academiis non agnoscunt à Cæsare sine Pontificis confirmatione institutas. Præterquam quod enim Summo Principi faciunt injuriam, cujus potestatem in regimine seculari arctiorem & inferiorem ponunt Papæ, florentissimas Universitates, quæ tamen longè ante Pontificum canonem introductæ leguntur, destruerent. Annon Attica ante canonem Pontificum fundata? *Setser. in tract. de increm. Academ. Hypom. 307. § 2. seqq.* Nonne de Bononiensi idem optimo jure affirmandum? Quidni de Parisiensi illud quoque asseverandum? Immo ipsi Pontifici non denegant Imperatoribus jus creandi Doctorem juris Canonici; licet illius juris Auctoritatem penes Pontifices solùm positam esse arbitrentur. *Bart. & alij in l. cunctos C. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. Hart-*

MAN.

man. Hartman. in pract. observ. tit. 33. de matr. obs. 6. in fin. Calderan. consil. 6. tit. qui filij sunt legitimi. Aliud enim est alicujus juris autoritatem sibi vindicare; Aliud illius juris cognitioni & scientiæ præmia ac honores decernere. *Andr. Gerbard. disput. ad authen. Habita q. 2.* Et quis nescit, Doctores in Academiis ab Imperatore duntaxat confirmatis promotos, non solum in Camera Imperiali *Ordin. Camer. part. 1. tit. 3.* In Universitatem welche zum wenigsten von unsern Vorfahren / Römischen Keysern vnnnd Königen / der jetzigen Keyserlichen Majestet oder vns confirmiret; sed & in aliis liberis Rebuspublicis ad publica munera obeunda admitti? Atque hanc jam duplicem Cæsaris nimirum & Pontificis, autoritatem, aut conjunctim aut disjunctim ut interveniat, illi quærere tenentur, qui Academiis dotare ac ædificare cupiunt. *Joachim. Stephan. lib. 4. de jurisdic. Eccles. cap. 12. num. 23. & seqq. Matth. Stephan. de jurisdic. lib. 3. p. 2. cap. 3. num. 23.* Hoc enim neglecto vix est, ut Doctores ibi promoti in toto terrarum orbe legitimi habeantur. Sic adhuc disputatur, an illi, quibus Lugdunæ Batavorum (quæ Academia ab Ordinibus Belgicis 1575. erecta) Doctoralis honor collatus tales ubique locorum censendi; eò quod Papa invito, Cæsare in salutato, fundata; adeò ut cum Regibus Galliæ & Angliæ speciali conventionem efficere necesse habuerint; quò in istorum regnis adprobentur Mediterraneo teste. *Besold. in Polit. libr. 1. cap. 12. fol. 458.* Sunt etiam qui ex paritate rationis dubitant; num qui in Dania Hafniæ, in Suecia Dillinganæ gradum Doctoralem petierunt, pro veris æstimandi; adeò ut firmiter statuunt; illos nequaquam in Camera admissum iri. (b) Et si enim boni est adolescentis sponte quod optimum ab omnibus judicatur, & est etiam sequi, mentemque suam liberalibus artibus excolere; attamen cum honos alat artes, & omnes ducamur gloriæ studio, Cicerone teste *1. Tuscul. quest.* ideò gradus sunt inventi, ut juvenus ad ingenua studia excolenda spe futuræ dignitatis redderetur alacrior; & ut docti ab indoctis, probi ab improbis discerni queant. Quamobrem diligenter cavendum; ne temerè & indignis hoc præsertim periculo-

lissimo tempore, ubi omnia venalia prostant auro conferantur. Alioqui enim & ipsæ promotiones, quarum saluberrimus in Republica usus, vilescunt, & improbi ac insulsi homines publico testimonio comprobati haut parùm Reipublicæ Christianæ sive per nequitiam, sive per inscitiam inferent detrimenti. Atque ex consideratione hujus abusus factum puto, quod Doctores Bullati in Camera Imperiali non duntaxat à munere Assessoris & Commissarii, sed & Advocationis communiter arcentur. *Otto Melander in comment. Camer. part. 1. p. 115. & seqq.* Sine hoc enim si esset, Camerales malè facerent, cum judicium sit ipsius Imperatoris; ad quod sanè eo ipso, quod quis ab Imperatore vel ab alio ejus nomine creatur, æquè redditur idoneus; ac si ab Universitatis Professoribus creetur. Nam & illi Imperatoris autoritate conferunt gradus iisque Privilegia concedunt; cum Academia à Cæsare fundentur, erigantur, & confirmantur; nec non talibus Privilegiis ornentur; ut ejusmodi dignitates aliis communicare possint. Nec relinqueret hanc injuriam Cæsar inultam; Si animadverteret suam potestatem ibi diminui, ubi pro ea dimicare sit necesse. Illud quoque ex potestatis Comitibus Palatinis concessæ abusu oriri existimo, quod, si statutum loquitur; ut non nisi Doctores vel Licentiati in Collegium vel ordinem Ecclesiasticum vel civilem cooptentur (qualia in Francia & Germania reperiri plurima, testatur *Ruland in tract. de commiss. p. 1. l. 1. cap. 14. num. 10.*) Doctores Bullatos non admittunt. Cum enim plerique Comites Palatini sæpè indignos aut propter avaritiam, turpis lucri captandi ergò, aut propter arrogantiam inanis gloriæ causa, ut multos à se promotos jactitare queant, nullo prævio examine promoverent; factum est ut instrumentum promotio impertitum fidei & spei parum meruerit; donec tandem adeò vilescere cœperit, ut ejusmodi Bullatis Doctoribus Privilegia Academicis Doctoribus indulta omnes penè Politici denegare non vereantur. Quorum sententia locum habebit, si constet neque examen per tres Doctores ad minimum fuisse institutum; neque alia quæ Privilegium Cæsaris in conferenda Doctorali dignitate præscribit, adhibita. Eo enim in casu Comes Palatinus extra & contra Instructionis regu-

regulas agens perperam agit, cum concedentis voluntas non
videatur esse, in suis & minus idoneis hunc honorem conce-
di. Scientia namque est de substantia Doctoris promovendi.
Et non dignitas sed scientia facit Doctorem; cum non digni-
tas sed doctrina & eruditio sit, quæ alios docere potest. *Menoch.*
de A. I. lib. 1. cent. 5. casu 525. num. 40. Hinc falsè Grego-
rius III. ad quendam indoctum Doctorem beneficium pe-
tentem tituloque Doctoris gloriantem dixit; ipsum sibi non
videri Doctorem, sed saltem Doctoris titulo ornatum. *Me-
land. in Jocofer. lib. 1. num. 688.* Secus verò se res habet, si exa-
men legitime celebratum; ita ut ille actus optimorum con-
sensu & decreto conspirante absolutus. *l. Magistros. 7. C. de Pro-
fess. & Med. & reliqua in diplomate annotata intervenerint.*
Tunc enim gaudeant Privilegiis Academicorum Doctorum, &
in omnibus civitatibus, terris ac locis sacri Romani Imperii &
ubi libet, omnes actus Doctorales exerceant. Hic etiam non
incongruè quæri potest; An gradus Doctoralis assumptio ob-
fuscet nobilitatem? Sunt enim qui cum Jurisprudentiæ co-
gnitionem ad Reipub. salutem tuendam, vel maximè necessa-
riam statuunt; hæcque ratione moti & ipsi pro parte virili il-
lam addiscant; Doctorum verò titulo insigniri potius dedecori
quàm honori ducant. Verum hos Antabatarum more velut
clausis oculis à luce in tenebris obturbatos, toto, quod ajunt,
cælo aberrare, omni que judicio carere, salva ipsorum pace,
dixerim. Tantum namque abest, ut scientia & hujus intuitu
collata dignitas Nobilitatem obscuret; ut eam multis modis
illustret. Quemadmodum enim lumen ejusdem splendo-
ris lumini additum fulgorem luminis prioris adauget, non
immunit; ita par dignitas dignitati juncta illam insignio-
rem reddit; non ei detrahit. Atque hinc est, quod Doctor
nobilis præfertur nobili non Doctori, etiam militi. Cum
enim Georgius quidam Fiscellius legum Doctor equestris mi-
litia insignia susceperat à Sigismundo, in Synodo Basiliensi
consultaturus dubitaret; utrum Doctoribus uno in loco, aut
Equitibus in alio congregatis se adjungeret, tandemque ad No-
biles inclinaret; modò nominatus Imperator dixit; stultè
agis, qui literis præfers militiam. Nam ego milites una die
mille

fol. 318. (c) Licentiati duplices sunt generis. Quidam pri-
vatim aut publicè sunt examinati, & disputarunt; nondum
tamen talis actus solemnis promotionis, in quo omnia illa
solemnia in promotione Doctoris usitata intervenerint exce-
pto pileo, est adhibitus. Quidam non tantum est examina-
tus & disputavit, sed & omnia solemnia Doctoralis actus
præter biretum, adhibita. *Matth. Stephan. de jurisdict. libr. 1.
part. 2. num. 3. cap. 14. fol. 125.* Isti licet ad summam Doctora-
lem dignitatem aspirare, cum vult. *Petr. Gregor. de art. jur. c. 34.
num. 18. p. 556.* unde etiam Licentiatum dici vulgò putant.
Hic in favorabilibus non in odiosis æquiparatur Doctori. *Mid-
dend. lib. 1. de Academ.* Et sanè quod Licentiatum taliter pro-
motus privilegiis Doctoralibus & immunitatibus fruatur,
adeoque nomine Doctoris comprehendatur, ex generali con-
suetudine tralatitium videtur. *Matth. Stephan. d. l.* Talisque
præfertur omnibus reliquis Licentiatis non verò Doctoribus
Middend. cit. loc. Utrum verò Licentiatum alibi gradum supe-
riorem assumere possit, quam ubi Licentiam consecutus est hic
dispiciendum venit? Affirmativam locum habere, si novum
subeat examen, tenet *Cuppen ad Auth. Habita p. 34.* Imò Li-
centiatum jurantem se non alibi gradum Doctoris assumtu-
rum, non obstante juramento, novum subeundo examen, pro-
pter illud doctorari posse; cum clausula juramento inesse in-
telligatur, rebus sic se habentibus pro ut nunc habent, *Meno-
chius de A. I. quest. cas. 371 num. 18* asserit. Tenetur tamen re-
missionem juramenti petere & impetrare ab Universitate, cui
illud præstitit. *Matth. Stephan. d. l.* Tam diu enim teneri juran-
tem, donec vel à superiore dispensetur ex justa causa, vel abspi-
cui^{us} interest servari remittatur. *Felin. ad c. ex administrationis
num. 1. de jurejur.* notat exemplum hujus rei, de quodam Licen-
tiato Basileæ promotò & alibi Doctoris Gradum petente, re-
fert *Matth. Stephan. alleg. loc.* (d) Magistri vox latè patet;
adeò ut complectatur & Doctores cujusvis facultatis *Barbat. c.
1. de loca.* & Licentiatos & Baccalaureos *Alciat. in l. si cui. ff. de
V. S.* & omnis disciplinæ Professores; ita ut qui artium Doctor
est, idem Magister artium nuncupetur, licet Doctores majore
ful-

fulgeant dignitate. *Matth. Stephan. sæpè cit. loc.* Hic autem mihi sunt, qui de ursoris Platonice & Aristotelice Philosophiæ, ac septem Artium spatiis ritu solemnè hoc nomen habent impostum. Atque ista Magistralis dignitas in Philosophia summus est gradus, præparatio ad illum Baccalaureatus. *Besold. Polit. l. 1. c. 12. num. 42. p. 467.* sine dubio inventus; ne ad capessendos gradus studiosi nimis festinent; sed operam potius navent; ut studiis, quibus dediti, ita prius sint imbuti; ut confidant, se ad aliquas partes humanæ societatis administrandas fore idoneos. Commiseratione enim digni videntur, qui Magistri dicuntur, cum nondum norint esse discipuli. Quod si verò reperiantur, qui tanti sint ingenii, tanti iudicii, memoriæ tantæ; ut brevi capere queant; quod alii vix longo temporis spatio addiscant; nullatenus vel impediendi, vel etiam arcendi, si publicum hoc eruditionis solidæ testimonium petant; ne si denegetur, Resp. insignem pateretur injuriam, non aliter ac si indigni & inscii eo prætextu, quod diu in Academiis commorati sint, graduum insignibus decorentur. An verò hunc gradum Magister saltem, an verò alius etiam, qui eo gradu quidem destituitur, Collegii tamen Philosophici haut ignobile membrum existit, Magistrum creare & renunciare queat, interrogari potest? Equidem Magister Magistrum creat, non quatenus Magister, sed quatenus Collegii imò superioris autoritate fungitur. Aliàs quivis Magister Magistrum, Doctor Doctorem facere posset, quod dicere absolum. Utrum autem hæc autoritas cadat in eum, qui licet membrum Collegii, non tamen Magister; id decidendum iudico ex statutis & consuetudinibus cujusvis Universitatis & Collegii. Sed & quid causæ sit, quod Magistri in rescriptis Principum præponantur Doctoribus, hinc inquirendum videtur. Non solum enim Carolus V. id fecit, ad Univers. Viennens. scribens, uti videre est apud *Goldast. in Reichsaktionen p. 245.* sed & plerique Germaniæ Principes, qui Academiarum fundatores & Nutritii, illud facere adhuc hodiè consueverunt. Causa ejus esse potest cum generalitas vocabuli Magistri; tum quia olim tanta fuit autoritas Magistrorum; ut κατ' ἐξουσίαν Parisiis & Lovanii hoc nomen eximiis Theologis attributum; eosque Magistros nostros (quod illi non alii debeant esse præceptores

C

nostri

nostri & præ reliquis nos illos sequi decēat) appellatos fuisse legamus. *Joban. Limnaus dissert. Nomico-Politica 4. de Academijs thes. 4. lit. H.* Illud hinc addendum erit; An si statuto certis sint Magistris privilegia concessa, puta ut nemo Philosophiæ Professor recipiatur, nisi Magister sit promotus, Doctor superioris facultatis, qui tamen Magister non sit, commodo hoc frui queat? Et dicendum quod non; propter verba privilegi clara, Magister promotus. Nam licet & Doctores Magistri vocentur, uti supra ostensum, & Magistri itidem Doctores; attamen tales dicuntur, non quod sint Magistri promoti; sed ex ratione *l. cai. 57. ff. de V. S.* quod omnes quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quam ceteri diligentiam & sollicitudinem rebus quibus præsumunt debent, Magistri appellandi: Sicut & Magistri promoti, Doctores sunt, non quod Doctoratu qui distincta dignitas à Magisterio, ornat, sed quod Doctores Philosophiæ ex verbis communissimis creo vos Magistros seu Doctores putantur. Neque quicquam huc quadrat; quod in Cathedralibus Ecclesiis, ubi certa habentur statuta; ut non nisi nobiles pro Canonicis recipiantur, Barones, Comites, Duces non excluduntur; cum statuta, licet strictè, non tamen adeò sint interpretanda, ut digniores titulo excludant, sed ut inferiores; Nam et si hoc ita se haberet; attamen non æquè ut à Comite ad Nobilem, ita etiam à Doctore ad Magistrum, licet inferre. Verum enim est, omnem Comitem esse nobilem, sed falsum omnem Doctorem esse Magistrum promotum, licet scientiæ officio & Magister dici possit. Et in statuto dicto genus ponitur illimitatum; in privilegio verò præsupposito, species ponitur limitata; videlicet Magistri promoti persona.

POSITIO IV.

Tertium Reservatum esto jus cognoscendi de feudo Regali (a) quod immediatè (b) ab Imperio descendit & recognoscitur.

(a) Superioribus annis Imperator feuda Imperio aperta Rega-

Regalia ex plenitudine potestatis rursus cui volebat, concessit. *Aur. Bull. Caroli IV. t. 5. § 7.* Rudolphus I. Comes Habsburgensis cum Austria imperio legitimo destitueretur, eam Imperio vindicavit, & Albertum filium infeudavit; unde Archiducum Austriae origo. Fridericus I. mortuo Hermanno, Comite Palatino, mascula prole non relicta, fratrem Conradum constituit Comitem Palatinum Rheni. *Tribem. ad ann. 1156.* Ludovicus Bavarus Marchiam Brandenburgensem, defuncto Woldemaro Electore sine liberis imperio vindicavit, & in ea filium Ludovicum natu maximum collocavit. *Peucer. libr. 5. Chron.* Sigismundus deleta Ursorum familia in Alberto, Electoratum Saxoniae ad Imperium devolutum Friderico I. Marchioni Misniae in feudum dedit; ex quo hodierni Electores Saxoniae oriundi. Nostra verò aetate feuda haec imperio aperta Imperio incorporantur, ex capitulatione Caroli V. quae extat apud *Sleidan. lib. 1. de stat. Relig.* his verbis Imperii bona, quae fortè vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat. Ipsum originale Antonius Colerus *de jur. Imper. Germ. tit. 23.* habet. Cognitionem verò de illis sibi soli summus reservavit Princeps in signum supremæ potestatis. *X. A. zu Wormbs An. 1521. sub rubr. Römischer Keyserlichen Majestet Regiment / 5. Ob auch Sachen fürstlichen Fürstenthumb / Herzogthumb / Graffschafften / etc. belangend / so vom Reich zu Lehen rühren / so einem Theil genßlich vnd endlich abgesprochen werden sollen; Derselben Erkenntniß wollen wir vns auch hierin vorbehalten haben.* Equidem Regimentum Imperii utpote ex Illustrissimis personis constitutum vice Romani Imperatoris iudicavit; de hisce tamen majorum regalium feudis minimè cognovit. *Ord. Reg. tit. Von den Zwanzigen / de anno 1500. An. 1521. sub rubr. Ordnung des Regiments / Vicarii Imperii licet tempore interregni de omnibus aliis negotiis iudicia exerceant, horum tamen regalium feudorum decisionem futuro Cæsari reservant.* *Aur. Bull. Carol. IV. lib. 5. ibi: Ausgenommen der Fürsten Fahnlehen / denn derselben Lehen*

Den Vergleichniß behalten wir einem Keyser oder Römi-
schen König. Ipsa Camera, quæ tamen Consistorium est
summi Principis, *Gail. obs. 42. num. 3.* & Cæsarem repræsenta-
Rosenthal. de feud. c. 12. conclus. 1. num. 30. ejusque nomine, au-
toritate & sigillo omnia mandata ac processus expedit. *Gail.*
obs. 14. num. 1. exque personis gravissimis, Principibus, Comi-
tibus &c. constituitur. *Ordin. Cam. p. 1. t. 1.* de his feudis cogno-
scendi jus Imperatori relinquit, *Ord. Cam. p. 2. t. 7.* Et si autem
hæc jura tam manifesta sunt; ut quis juraret, neminem reper-
tum iri, qui contrarium asserere ausit; dantur tamen qui cum
non constanter ratione, sola negatione possunt. *l. fin. C. quib.*
ad libert. provoc. sollicitam movent dubitationem. *Nov. 44. c. 1.*
scilicet naturalis ad dissentendum affectio in causa est; ut cer-
ta incerta, clara obscura, vera falsa reddere homines allaborent
l. 17. q. 6. ff. de recept. arb. Hinc est, quod cum legibus oppa-
gnare veritatem hinc non possint, exempla producunt non so-
lum Sigismundi & Friderici Imperatorum, qui cognitionem
regalium feudorum consensu Procerum & Parium curiæ insti-
tuerint. *Besold. de jurisd. Rom. c. 13.* sed & aliarum regionum,
Franciæ ubi non Pares coram Parlamento, sed Paribus Franciæ
conveniuntur, *Chopp. de domin. Franc. lib. 3. c. 7.* *Bodin. de Rep.*
lib. 6. c. 4. *Hottom. in Franco. Gall. & Regni Neapolitani,* ubi
Comites ac Barones in criminalibus non nisi per Pares Curia
judicantur. *Marian. Frecc. de differ. feudi reg. num. 9. & 11, differ.*
14. & 47. Verum enim verò quia Legibus non Exemplis pu-
gnandum, *l. nemo. 13. C. de sentent. & interloc. omn. jud. & dicti*
Imperatores ex mera liberrimæ voluntatis facultate, id tunc
fecerunt non juris necessitate; nec si fecissent, subsequentes Im-
peratores obligassent, utpote in quos nullum habuerunt Impe-
rium; neque etiam quod in Gallia vel alio regno fit, statim in
Romano Imperio obtineat; nihil impetrabunt, qui status Im-
perii necessariò Imperatori adesse oportere in cognitione de
feudo regali voluerunt. Sed quis judicabit si de possessione lis
moveatur, aut de parte ejusmodi feudi disceptetur? Priorem
quod attinet; *Thomas Michael de jurisd. conclus. 28. & Matth.*
Stephan. lib. 2. p. 1. c. 1. memb. 2. n. 208. negant constitutionem,
Ob auch Sachen fürfielen &c. locum habere distinctionem pe-
titorii

ritorii ac possessorii summentes è verbis *d. Constit. Genslich vnd Endlich* / ita ut vocabulo *Endlich* (id est definitivè) conjungatur particula *Genslich* / ad excludendum iudicium possessorium, verùm utraque particula definitivè intelligi debet. Altera alteram explicat. Non enim est novum; ut copula *ET* ponatur inter eadem ac similia, atque resolvatur in expositivam stette declarativè inter duo idem importantia. *Meinling lib. 1. class. 4. c. 19. num. 53.* & proponatur pro *ID EST*, *Gædd. ad l. 28. §. 1. ff. de V. S. num. 8.* Et quidni cognosceret Imperator de possessione? Cum enim idem de possessione cognoscere debeat, coram quo de proprietate litigandum, *l. nulli. C. de jud. ne causæ continentia dividatur eorum*, quæ quò ad usum procedendi, quò ad modum probandi, & medium perveniendi ad domini certitudinem ejusque decisionem connexas habent partes, neque ordinis ratione divulsionem aut separationem patiuntur; Imperatori verò competat indubitatò petitorium, necesse est ut & possessorium, tanquam necessarium antecedens reservatum dicamus, aut utrumque negemus. *Leipold. de concur. juris. concl. 5.* Et quanquam dissentientes hanc regulam fallere putent, si res, de qua controversitur, ita comparata sit; ut is, qui in possessorio iudex fuit, in proprietatis causa iudex esse nequeat; ideò quia petitorium alterius cognitioni speciali reservatum. *Menoch. A. I. quest. cas. 371. num. 23.* attamen mera est traditio Doctorum; siquidem *Constantinus in l. nulli C. de jud.* decidit, quod nec beneficio immutari possit, & quod contra supplicans sit puniendus. Pars enim litigans ea divellens amissione causæ vel arbitrariè mulctatur. *Gail. 1. obs. 32. num. 11.* Et posito quod data limitatio subsistat; obtinebit tamen tum demùm aliquid, cum iudex pro natura rei controversæ poterit cognoscere. Quoniam autem feudorum, quorum in præsentiarum mentio fit, tanta reputatur gravitas; ut omnem alium iudicem præter Imperatorem respuat; ideò solus etiam valebit decidere. Magnæ enim & arduæ causæ magnos requirunt iudices; ut habet tritum illud *l. non distinguimus. §. de liberali. ff. de recept. arb.* Si enim præter solam feudalitatem hæ causæ essent Imperatori reservatæ, non propter gravitatem, utique & de aliis Imperii immediatis feudis solus cognosceret ex

rationis identitate. Quid verò in his Camera concùrrit. *Gail. 2. observ. 29. num. 3.* Sequitur propter magnitudinem potius illi tanquam summo Duci feudi non solùm, sed & ut summo Magistratui ac ordinario judici has causas Ducatũ esse reservatas. Manet igitur verum, possessionis disceptationem ad solam pertinere Cæsarem, sive id fiat ratione immediatæ & reservatæ subjectionis, sive ratione qualitatis feudalis. Ad alteram quod spectat quæstionem; sunt qui voculam *Gänzlich* / denotare putant integrum corpus; ut ex eo concludi velint, tũm cognitionem Imperatoris solius requiri; cum totaliter feudum abjudicandum, non eũm pars ejus aliqua. *Sixtin. de Regal. lib. 1. c. ult. Rosenthal. de feud. c. 12. conclus. 1. num. 30.* Sed aliena & frivola est hæc textus nostri explicatio. Quis enim non videt, hic haut denotari rei litigiosæ quantitatem, sed sententiæ qualitatem? Et secundum hanc sententiam in judicio aulae Cæsareæ in ardua causa pronunciatum 23. die Octob. 1613. Actæ in *Sachen Marburg Succes.* ubi præjudicium factum. Quare cum idem juris sit in parte quò ad partem, quod in toto quò ad totum *l. que de tota ff. de R. V.* nisi diversa ratio manifesta variet jus. *Everhard. in Topic. loc. à tot. ad part.* nostro verò in casu eadem sublit ratio, videlicet ne Ducatus minuantur, & feuda regalia; vel aliud quidpiam in iis disponatur, quod in Imperatoris vel agnatorum simul vocatorum vergere possit præjudicium. *Reinking lib. 1. class. 4. cap. 19. num. 99.* idcirco non video, quare cognitio si de parte regalis feudalis oriatur soli Imperatori non debeat relinqui. Sed an de his feudis, in arbitros queat compromitti, haut incongruè interrogatur? Equidem regulariter Vasallos de jure feudali id facere posse, communis Doctorum est opinio. *c. 1. de invest. in marit. fact. c. 1 §. si autem de 2. Corradi. c. 1. an apud jud. vel Domin.* Verũ generalis ista juris dicti dispositio hic nihil operatur; cum hæc cognitio de feudis regalibus sit de Reservatis Summi Principis, *supra alleg. §. Ob auch Sachen fürfielen &c.* Quod si enim de illis statueret, quis aut pacisceretur, in judicium faceret superioris, sicque perperam ageret. Et licet aliàs compromittere sit ex genere permissorum; attamen causæ arduæ & graves, quæ summum poscunt judicem, sæpè etiam in jure civili obstant; quò minùs
com-

compromissio locum habeat. Sic in causa liberali, ubi de ingenuitate quaestio movebatur, compromitti non poterat. *l. non distinguimus. 32. §. de liberal. caus. ff. de recept. arb.* Eadem ex ratione in matrimonialibus compromissum non valet. *c. penult. extr. de in integr. restitut.* Neque hæc quæ prolata obtinent duntaxat in compromissoriis conventionalibus, sed & in arbitrariis statuto ac pactis familiarum constitutis. Quamvis enim talia pacta & statuta familiarum illustrium generali Imperii, nec non Imperatoris lege corroborata sunt *Ordin. Cam. p. 2. r. 2.* ut videatur dicendum hoc in passu illud fieri omnino posse; quia tamen sub generali confirmatione non continentur ea, quæ in specie reservata sunt summo principi in signum supremæ eminentiæ; & privilegia semper intelliguntur salvo superioritatis jure concessa. *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 5. num. 3. & seqq. Covarr. in quest. c. 4. num. 1.* idem arbitri in causa proposita cognoscere nequeunt; ita ut si causa coram illis jam agi coepisset, illa ab Imperatore vel advocari, vel ipsis per rescriptum, inhiberi possit; ne ulterius procedatur. *Gail. 1. obs. 40. num. 2. & 9.* (b) Non frustra hæc adjecta fuere. Ut enim allegata constitutioni locus detur, necessario requiritur; ut territorium regalem habens annexam dignitatem, non tantum sit feudale, sed & ut immediatè ab Imperio descendat & recognoscatur. **Das es ohne Mittel vom Reich zu Lehen rühre.** Et sic enim verba hæc in dicta Constitutione non literaliter extent; attamen ex bona consequentia inesse intelliguntur. *Rosenthal. de feud. c. 12. concl. 1. num. 30. Schrader. de feud. part. 10. sect. 2. num. 71.* Si namque territorium regalis dignitatis per subinfundationem ab inferiore factam ad aliquem ejus capacem pervenerit, contentione inter vassallos orta, iudex erit Dominus immediatus & proximus, cui & juramentum fidelitatis & servitii præstantur. *Vult. lib. 2. de feud. c. 2. n. 11. Schrad. de feud. part. 10. sect. 2. à num. 45. usq. ad num. 61.* In omnibus enim negotiis & actibus, causa immediata potius attenditur; hicque casus specialiter non exceptus dispositioni juris communis videtur relictus, *l. quicquid ff. de V. O.*

POST

POSITIO V.

Quartum Reservatum esto jus Cursus Publicos per totum Romanum Imperium instituendi (a) & confirmandi. (b)

(a) Cursus publicos non hoc loco acceptos volo cum Menochio de A. I. quest. lib. 2. cent. 3. cas. 229. num. 4. & Matthia Stephani de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 1. num. 2. num. III. quos veredos à vehendis rhedis Festo teste, dici existimant. t. t. C. de curs. publ. qui vel ad armorum transvectionem, l. cursum 22. C. d. t. vel Legatorum profectioem, l. ult. C. de Fabricens. vel ob aliam aliquam publicam utilitatem, l. maximarum. C. de excus. mun. subditis imperantur, & nomine angariarum veniunt. Sed intelligo equos publicos per vias publicas dispositos, quos Postas vulgò vocant; qui non saltem iter facientibus epistolasque aliò mittentibus commodo sunt; sed & haut exiguum vectigal fisco acquirunt; & quod rei caput securitati Reip. vel maximè inserviunt. Quemadmodum jam illi belli Duces rebus suis optimè consulunt, qui hostium conatus probè cognitos perspectosque habent: Plutarch. in Apoph. Sic multò magis optimus Imperii Princeps ex eo judicabitur; qui quod in quovis suæ ditionis angulo contingit ad unguem novit. Atque hanc ob causam Philosophus Indorum quidam satis prudens consilium dedisse videtur Alexandro & re & nomine Magno; quod sedem regiam in meditullio regni figere deberet; ut illic faciliori negotio motus gliscentes compescere, & quid ubique locorum gereretur, rectiùs experiri posset. Plutarch. in vit. Alexand. Quod si enim ejusmodi cursores publici per universas regiones provincias ad eam distribuantur distantiam, quantum equus uno tractu continuo conficere potest; citius in notitiam Principis perveniet, si quis quid moliri voluerit, quam cogitata Auctor in effectum traducere valebit. Apud Persas erant excursiones diurni; exploratores nocturni, nec non specularum accensores; ut faces per horum vices accensæ ex omnibus regni sublimibus locis uno die Regi significarent, quod opus scitu visum. Apulej. lib. de mund. De Gallis dicit Cæsar. lib. 7.

1107. *Deu. vii.* ubi majores atque minor incident, clamore illos per regiones agrosve significasse; hunc alios excepisse & proximis tradidisse tantâ velocitate; ut quæ Genabi, oriente sole gesta, ante primam confectam vigiliam in finibus Arvenorum fuerint audita; quod spatium sit millium passuum circiter centum & sexaginta. De Romanis refert *Livius in bell. cent. Antiochen.* Sempronium Gracchum per dispositos equos propè incredibili celeritate ab Amphissa tertio die Pellam pervenisse. Hinc quidam dixerunt, tales cursores publicos itergruum volatu celerius conficere, ad innuendam summam agilitatem; cum hoc velocissimum sit omnium itinerum, quæ homines expedire queunt. *Xenoph. lib. 2.* Atque hos jam cursores per totum Romanum Imperium ordinare solius Imperatoris potestati est reservatum. Quamobrem Anno 1579. Germaniæ cuidam Duci postas generales adornare annitenti Imperator pro juris sibi competentis dictione mandato inhibitorio severè prohibuit. *Arnold. Clapm. de arc. Rerump. lib. 1. c. 21.* Quod Anno 1596. & 97. Magistro postarum officium à Cæsarea Majestate confirmatum reliquis privatis ac civitatum cursoribus, *Messengerpost vnd Nebenboten/* generali diplomate imperatorio sublati Thomas Michaëlis attestatur *in tract. de jurisd. Imp. Rom. conclus. 12.*

POSITIO VI.

Quintum Reservatum esto jus constituendi de ordinationibus temporum. (a)

(a) Ordinationem Calendariorum, in quibus menses, hebdomadæ, dies & feriati & non feriati certo ordine designantur; ut cum Respubl. tum Ecclesia suo quævis peragat tempore sibi semper sumserunt ex plenitudine potestatis Romani Imperatores. Julius Cæsar in restituenda & disponenda Respubl. primam industriam in corrigendis Fastis collocavit, Calendariumve, quo multis in locis adhuc hodie utimur, emendari curavit. *Sueton. & Plut. in vit. Cæs.* Augustus illum secutus novas Ephemerides introduxit; ut testatur *Dion. &*

D

Hel.

Helvic. in Libert. Hist. juo Jul. & Aug. Carolus M. Imperii Ger-
manici conditor tam Calendarium ipsum, quam nomina Men-
sium Germanica Teutonicis populis dedisse creditur. Spectat
igitur hæc potestas indubitato ad Cæsarem non Pontificem.
Albert. Grauer. in disp. Antilef. s. th. 95. ut non immerito Gre-
gorius Papa, qui Anno 1581. Calendarium Imperatori, Regi-
bus ac Principibus obtrudere conatus fuit, vaticinium *Danielis*
cap. 7. vers. 24. quod futurum sit regnum, quod se supra omnem
potestatem elever, tempora ac leges mutet & divinam ordina-
tionem pessundet, in se adimpletum viderit. Quod ipsum sanè
Protestantes in sua Apologia contra gravamina Catholicorum
in Comitibus Anno 1594. Cæsari minimè celarunt; de Calenda-
rio Gregoriano expressè scribentes; Was in des Regentheils an-
gezogenen Gravaminibus zu Verantwortung des neuen Calen-
ders fürgeendet; daß nemlich die Evangelische Stände/des Pappsts
angemasse Superioritet mit nicht zu erkennen/oder ihnen auffdrin-
gen zu lassen wissen/Dann solches ein Werck/der weltlichen Obrig-
keit zugehörig/das auch vom Pappst nicht so fast zu besserer Gerech-
tigkeit/Mathematischer Calculation, als zu einem Kennzeichen
seiner jederzeit gesuchten Superioritet vber alle Stände der Chri-
stenheit geschehen; außserhalb derer solche an ihn nicht vnnöthige/
noch auch vnnütze Emendation vnnnd Reduction der Zeit/billich
durch einen Römischen Keyser vmb anderer erheblicher Ursachen
vnd Nutzbarkeiten willen/geschehen können vnd sollen. Deswegen
die Evangelischen den Pappst billich einen Antichristischen Verände-
rer der Zeit beschuldigen. *Gailius Pontificiæ superstitioni ad-*
dictus in Epistola ad Amicum quendam Augustanum scripta.
hoc jus ad solum pertinere Imperatorem affirmat, inquit:
Wenn man eine durchgehende Gleichheit im Reich anrichten wol-
te/muß solches mit Vorwissen vnd Verwilligung der Keyserlichen
Majestet geschehen. *Tibileman. de Benign. cent. 2. observ. supplic.*
cent. 2 p. 125. Gylm. rer. jud. p. 7760. Just. Springer. de pac. Relig.
a. 6. Idem statuit Elector Saxonix Augustus. Is enim cum
Cæsar ejus consilium exquisivisset, prolixâ oratione docuit;
non solum omnis generis difficultates & confusiones in judi-
ciis, contractuum instrumentis, & aliis negotiis secuturas; sed
quod maximum S. Cæsareæ Majestatis, & S. S. Romani Impe-
rii

latum iri. *Chytra. lib. 26. Chron. p. 764.* Rectè igitur fecit Imperator quod illud, licet mandante Pontifice, recipere primum noluit; ne ex necessitate fecisse videretur; uti testatur *Gail. in modo alleg. Epist. ubi ait: Mit dem neuen Calender ist es Narrenwerck. Es haben die Keyserliche Majestet / Chur vñnd Fürsten / auff des Papsts Begehren / den nicht halten noch annehmen wollen &c.* Cujus rei testimonium evidens præbet decretum Camerae Anno 1583. die 14. Junii factum; Das in narratis Supplicationis, Instrumentis & Appellationibus die Formalia nach dem alten Calender justificiret werden sollen / bis auff ferner Keyserlichen Majestet vñd Stände Constitution. *Johann. Ruding. observ. Camer. cent. 1. obs. 80.* Quamvis verò postea à multis Imperatori subjectis Calendarium Gregorianum fuerit receptum; hoc tamen non idèò factum, quod subditi Papæ esse aut ejus jugum subire voluerint, sed ut Magistratui, qui illud in regno Bohemæ, Austriacis ac cæteris suis ditionibus hæreditariis instituit & servare jussit, & non dominationem Pontificiam, sed rationes Politicas urit, morem gererent; ne recusando rebellandi occasionem præbere, vel Reipubl. salutem in discrimen vocare viderentur; præsertim cum tam à Theologis quàm Politicis non referatur inter fidei articulos festorum ac dierum mutatio & emendatio, sed pro re merè habeatur adiaphora; quæ conscientias non lædit, si scilicet injungitur, ut Politicum. Nam aliàs si urgeatur, Adiaphorum desinit esse tale, juxta Theologorum regulam. Hocque nomine apud Augustanos ministri Evangelici ex suggesto publicè protestati sunt, uti refert *Chytra. lib. 26. Chron. pag. 763.* Utrum verò solus Imperator hodiè absque reliquorum Principum Imperii consensu novum Calendarium edicere possit, dubiæ videtur esse quæstionis? Sed affirmativa veritati magis congrua est. 1. Hæc enim potestas regio jure Imperatoris Majestati competens nullo jure, neque concessione, neque conventionione est immutata vel sublata. Quod verò non correctum; quare stare prohibeatur? 2. Protestantes in prædicta Apologia expressè confitentur; Daß solche Emendation durch einen Römischen Keyser geschehen soll vñnd
fara

249
prolatæ omninò fides adhibetur. *s. t. ff. & C. de confess.* Erit
igitur vel ipsorum Procerum confessione ingenua Reservatum
Summi Principis; nisi quis aliter Status Imperii scripsisse ali-
ter sensisse affirmare audeat. Quod quia nemo facere præsumi-
tur *l. 7. ff. de suppellect. leg.* neque de viris illustribus, quod ver-
borum blandimentis fallere velint, conijcere licet. Atque
hæc de Reservatis Summi Principis hac vice disseruisse iuffi-
ciat; reliqua, si qua sunt, ut esse adhuc reor, brevi forsan
alii disputationi hac de re conscribendæ
inseri poterunt.

F I N I S.




ULB Halle
005 132 649


3



1017







De Reservatis imperatorum

DISPUTATIO

POLITICO-JURIDICA

*J. 1009.
1,614
427*

De

RESERVATIS
SUMMI NOSTRI
PRINCIPIS.

5

1627

Quam

Divinâ Gratiâ favente,

*Amplissimo Amplissimorum FCTORUM Collegio
consentiente,*

Præsidente ac Dirigente

Clarissimo & Excellentissimo VIRO

DN. DANIELE JUREN

J. U. D. Præceptore atque Favitore suo
ætatem suspiciendo,

examini publico submittit

HENRICUS à Sebottendorff

Nob. Siles.

Ad diem 12. April. horis locove consuetis.

JENÆ

TYPIS STEINMANNIANIS,

ANNO M. DC. XXVII.

1795

42

30. ee

